



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 8. Epistola Synodi Apologetica ad universos Christi fideles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

§. VIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.*Epistola Apologetica Synodi ad universos Christi fideles.*

In alia Congregatione eodem die habita recitata est Epistola Papæ Friburgi ad Concilium data, qua percepta Nationes in sua opinione adhuc magis firmabantur, nimirum, quod Pontifex unice cessionem eludere conaretur, nec unquam idoneum abdicationis suæ mandatum Procuratoribus tradere cogitaret. Cum vero jam plures Ordinum Generales post Joannis fugam a Concilio recessissent, Synodus in eadem Congregatione illis, qui adhucdum Constantiæ aderant, sub quocunque prætextu discedere inhibuit; absentibus vero, ut infra terminum triginta dierum ad Concilium redirent, injunxit, simulque indicta pœna privationis officiorum præcepit, ne integro hoc anno unquam Capitulum haberent.

Lab. Conc.
Gen. tom. 12
p. 1474.

Eodem die Patres in alia Congregatione horis pomeridianis celebrata, inter se conferebant circa literas encyclicas, quas ad Reges, Principes, Respublicas, atque Academias mittere decreverant, eo fine, ut Concilii gesta in caussa Joannis Papæ vindicarent. Depingebant Pontificem tam vivis coloribus, ut illius parum sincera fides, necnon præyæ ejusdem

Vander
Hardt to. 4.
p. 108.

Sæcul. XV. dem artes omnibus palam fierent; tuen-
 A C. 1415. tur vero Imperatorem, & Joannis que-
 relas in eum prolatas refellunt.

§. IX.

Manuelis Chrysoloræ obitus.

*Vid. supr.
 Lib. CII.
 §. 75.*

*Vander
 Hardt to. I.
 Prolog. p. 10
 II.*

Biduo post hanc Congregationem, nimirum die decima quinta Aprilis Manuel Chrysolaras Græcus, celeberrimus vir diem supremum clausit, annos natus quadraginta septem. Erat is quondam itineris socius, dum Cardinalis Florentinus de tempore & Concilii loco cum Cæsare acturus Florentiam petebat, postea vero cum præfato Cardinale Constantiam venit, ubi etiam idem Cardinalis in Mense Septembri anno salutis millesimo quadringentesimo decimo septimo fati cessit. Chrysolaras ex primis illis Romanis, qui cum Constantino Magno Constantinopolim migrabant, originem ducens, ob merita sua, omnium judicio, Pontificali gradu dignus habebatur, quæ laus speciatim in ejus Epitaphio Constantiæ in Ecclesia FF. Prædicatorum legitur. Literariæ Reipublicæ notissimum est, doctum hunc virum ad artes liberales in Europa restaurandas non parum contulisse. Docuit præterea per plures annos in Italia linguam Græcam, ferme septingentis retro annis neglectam, ejus-